

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

LVI. Veterum Instituta Druidum

urn:nbn:de:bsz:31-102564

degit, atque in Lettia et Livonia *ducatum* instituit, ac regno Poloniae coniunxit: Curlandiam et Semigalliam Gotthardo Kettlero, quem Furstenbergius *Adiutorem* sibi sumserat, titulo et dignitate Ducis, lege beneficiaria tenendas, MD LXI. attribuit atque concessit. V. *Salomon Neubauer hist. Polon. lib. VIII. Chytraeus in Saxonia p. 21.* Revalia, murus et propugnaculum contra Russos, Erico Sveonum Regi se permisit, et Magistro Livoniae obsequium renunciauit, quam tota deinceps Esthonia secuta est, & imperio ditionique Regis se subiecit. Priusquam hoc fieret, Carolus V. ut pacta Gandavensia docent, patrocinium tutelamque huius provinciae Regi Svediae obtulit, propterea quod Russi cum infestis signis in Harriam moverant, & omnia crudeliter diripuerant, Revaliam occupaturi, nisi Revaliensis populus, accepto praesidio, contra vim impetumque hostium se firmasset. Haec Ioannis Basilidis irruptio contigit anno MDLV. quo terror & desperatio plurimorum animos incessabat, cum immanitatis Russicae nullus finis modusque esset, et rapinae, caedes, vastitasque et solitudo passim conspicerentur. Igitur vel ditione paciscenda servitus Russica, vel patrocinium praesidiumque Svedicum certe admittendum erat. Caesar, praeter alias rerum temporumque difficultates, magno locorum intervallo disiunctus, opem ferre non poterat, neque alia liberandi ratio occurrebat, quam ut in patrocinii clientelaris fidem acciperetur. Qua de causa Ferdinandus I. et Maximil. II. non repugnarunt, quominus tota ea provincia sub tutela Svedica se defenderet, & suo atque Imperii iure servato, consuleret salutis suae, ac profligaret Russos, qui iam plerasque urbes et tractus, in potestate sua habebant, et cupiebant, operamque dabant, ut Magnus Holfatiae Dux fiducialem & clientelare regnum beneficio Ioannis Basilidis agnosceret conferretur. V. *David Chytraeus Chron. Sax. lib. XX. Simon Scharidius rerum Germanicarum Tom. IV. p. 140. Michael Caspar Londorpius Act. publ. cont. l. IX. c. I.*

LVI. VETERVM INSTITVTA DRVIDVM.

Vetus Druidum patria fuit Britannia, ex qua sodales eorum atque sacerdotes in continentem egressi, Galliam institutis moribusque suis erudierunt. *Caesar l. VI. c. 13. de bello Gallico. Disciplina (Druidum) in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata esse existimatur.* In Britannia, scribit Caesar, speciatim in Mona insula, ad mare Britanniae insulam pertinente, quae hodie *Anglesea* (indigenis *Anglesey*) nominatur, cuius meminit *Tacitus A. XIV. 29. 30.* Diversa enim est Mona apud

apud Caesarem l. V. c. 13. de B. G. Recentioribus Mannia, et Menavia dicitur: in altera Bellus Mariscus, oppidum insulae princeps, in altera antistitis Soderensis sedes celebratur. Idem Caesar dictis subiicit. *Et nunc* (tempore, quo Caesar scripsit) *qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque illo, discendi causa, proficiscuntur.* Non, *transfretant*, ut ex Caesare reddit Esaias Pufendorfius, quod ei per incuriam, et aliud cogitanti excidit, quippe ab aetate et stylo Caesaris plane alienum, in *dissert. de Druidibus cap. II.*

§. II. Literarum peritia eis in laude ponitur, quas ad ingenii cultum, et ad vitae usum per esse aptas, haud ignorarunt. *Literis Graecis usos fuisse*, Caesar prodit, B. G. l. VI. c. 14. Quod temere inficiatus est Franciscus Hottomannus, vir ceteroquin et legum et literarum peritus, qui loco iam adducto, vocabulum, *Graecis*, expunxit, idque ex Caesare, perperam intellecto, approbare voluit, vel hoc inprimis argumento, quod Caesar ipse sibi repugnet, si quidem hoc vocabulum retineatur. Nam paulo post subiungit, Gallos *in publicis privatisque rationibus Graecis literis uti*, et nihilominus Graeci sermonis imperitos esse, superiore libro confirmat, tum quod Caesar epistolam *Graecis conscriptam literis* equiti cuidam Gallico deferendam tradiderit, ne sua ab Gallis hostibus consilia animadverterentur. B. G. l. V. c. 48. Graecae ergo linguae ignaros fuisse Gallos, ne Druidibus quidem exceptis, colligit Hottomannus in *Francogallia cap. II. et in not. ad Caesarem h. loc.* At non generatim et univarse haec de Gallis scripsit Caesar, quorum lingua ab aequali eius Marco Tullio Cicerone perstringitur, ut barbara, quippe quam, ne Hottomanno quidem diffidente, *barbaro et immani terrore verborum* significare voluit, apud quem duo haec vocabula, *barbarus et immanis*, (ut apud Plinium barbarus ferusque) mutuo se declarant, ob eamque causam coniunguntur. in *oratione pro Fonteio*, quem Galliae praefuisse constat. Tantum igitur sermo Caesaris ad Druidas spectat, quos Galli in maximis duntaxat reipublicae negotiis consulebant, neque hi passim et disperse habitabant, sed in uno et altero loco, inprimis apud Carnutes, Galliae Celticae populos, commorabantur. Id quod laudatus belli Gallici scriptor comprobavit. *Ii* (Druides) *certo anni tempore in sinibus Carnutum, quae regio totius Galliae media habetur, confidunt in loco consecrato.* Recte Graecus interpret convertit, *Ἐλληνικῶν χρωμενοι γρημμασι.* Quamvis Gothfr. Iungermannus V. C. et Arn. Montanus, subdubitaverint, et vocabulum, *Graecis*, quasi suspectum mendosumque, *parenthesi* incluserint, ab Hottomanno, opinor, in hanc sententiam adducti. Quare nihil mutarunt Aldus Manutius, Fulvius Ursinus, et Petrus Ciaccionius, in quorum animis infixae erant interiores literae, quarum usus est in codicibus tractandis perinde ac repurgandis. Illud tamen cursim admoneto, vocabulum, *lucos*, magis commodum videri posse, quam, *loco*, quia lucos, eosque consecratos incolebant,

atque

atque illic sacris operam dabant. Ab his nomen eorum duxit Plinius, et diu post Caesarem commemoravit: *roborem eligunt lucos, nec ulla sacra sine ea fronde conficiunt, ut inde appellati quoque interpretatione Graeca possint Druidae videri. H. N. l. XVI. cap. ult.* Hinc et *σερβιδας* ab Diodoro Siculo dictos putant, *bibl. l. V.* Nec dissentit Gvil. Camdenus, Britannicarum originum scientissimus, in *Britannia*. At non est vana suspicio mendii, et varia huius nominis scriptura depravatam codicem prodit. In contextu operis legitur, *σερβιδας*, in ora libri *σερβιδας*, et *σερβιδας*: rectius, ut existimo, *δεγιδας*, quemadmodum eos Graecus Caesaris interpres scribit. Strabo *δεγιδας* cognominavit, accessito e Graecia vocabulo, quo significatur quercus. *Geograph. l. IV.* Cum Strabone convenit Laertio, ob eandem scribendi formam. Exinde repetit *Svidas*, in *h. v.* Contra alii existimant, peregrinum esse huius sectae vocabulum, et a Britannis, vel Celtis impositum. Apud Hibernos quercui respondere vocem *Draci*, auctor est Rodericus Flahertus, rerum pariter Hibernicarum ac Britannicarum diligens scrutator, *part. III. Ogyg. domest. c. 22.* Aegidius Bucherius retur, ab antiquo nomine *Drud*, sive *Trud*, appellatos, ut societatis mutua fide initae ratio habeatur. in *Belg. Rom. l. V. c. 4.* Trogius Arntius in *Cimbri* antiquitate versatus, a veteri Saxonum verbo *Dru* deduxit, *cap. XXIII. de relig. antiqua Cimbrorum.* Sed illi non assentior, propterea quod Anglo-Saxones et Cimbri multis post Caesarem seculis in Britanniam venerunt, ibique confederunt, et populum linguae societate coniunxerunt. Tanto minus suffragari possum Hectori Boethio, scriptori haud inscito, sed perquam fabuloso, qui sacerdotes illos a Fynnano Scotiae rege institutos affirmat, *lib. II.* Malim vero nominis originem repetere a Britannis, quam a Celtis, propterea quod in Cambria, et sermone Cambrico etiamnum vestigia Graeci sermonis supersunt, quod praeter alios, tradit Gallus apprime eruditus Petrus Danielis, in notis ad *Querolum*, Plauti nomine inscriptum, quamquam aetate, et sermonis genere multo recentiore. Ceterum in lectione Caesaris nihil immo, vel maxime ob auctoritatem Graeci interpretis, cum alioqui vox *ἀλ-σ* instituto eius convenientior fuisset.

§. III. Sacerdotes hi caput sodalitatis suae habuerunt, cuius praecipua inter eos fuit dignitas, magnusque vel ex eo accessit splendor, quod curam munusque principis eo in coetu gereret, atque ad ultimum vitae tempus hoc tali honore fungeretur. Sive ergo sacrum ordinis praefectum, sive pontificem dixeris, nihil refert, quoniam universo Druidum collegio cum summa auctoritate praefuit, ut Caesar indicat, locuples, et oculatus testis, qui confirmat, hoc mortuo, alium, qui reliquis praestaret, *successione principatum ordinis habuisse, vel siquidem pari et aequa conditione essent, electioni fuisse locum. B. G. l. VI. c. 13. Omnibus Druidibus praestitit unus, qui summam*

mam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo, si quis ex reliquis excellit dignitate, succedit: at si sunt plures pares, suffragio Druidum allegitur. Alterum per *δίαδεξεδαι*, alterum per *αιρεϊαδαι* apte expressit interpres Graecus. Nam disidentis collegii aemulatio, ambitusque vitium in eo cernebatur, si, quod raro eveniebat, eousque certarent sententiis, ut vim facerent, et bello experirentur. Idcirco subiungit. *Nonnunquam etiam de principatu armis contendunt.* Summa certe Druidum praefecti dignitas vel ex eo potest existimari, quod virtute potissimum et auctoritate constaret ille magistratus, et ob utramque causam sine suffragio iniretur. Quod ne Romae quidem contigit Pontifici maximo, quippe tributis populi comitiis creato, nec nisi suffragus designato, ut vel ex solo Livio patet. Ab his Druidibus familiae in Gallia propagatae sunt, quia matrimonio operam dabant, quod idoneo Aufonii testimonio confirmare licet. Enimvero Phoebicium *Baiocassem*, *Druidarum stirpe* prognatum dicit; Baiocassēs autem eruditi ponunt in Normannia; haec autem in finibus Galliae Comatae, speciatim Celticae, includitur, quod ex Melahaud difficulter probo. *l. III. c. 2. de situ orbis.* Locus Aufonii me admonet, ut *Baiocasses* a *Bellocassis* distingvam, quos pro iisdem habuit *P. Pithoeus*, *Adversar. l. I. c. 3.* Separavit autem Auctor Notitiae Veteris, cum quo argumenta historiae, et accuratiores locorum mensurae congruunt, rationemque a Pithoeo dissentienti firmant. Sed *Bellocassi* (sive ut alii legunt, *Bellocassēs*) non sunt diversi a *Velocassibus*, quos pro uno et eodem populo Caesar fumit. *B. G. l. II. c. 4. Vbi perperam Verocasses legunt, et collat. l. VII. c. 75.* Recentius est *Baiocassium*, sive ut alii nominant, *Baiocassinorum* nomen, et diu post Caesarem Strabonemque usurpari coeptum.

§. IV. Locum apud suos virtute adepti sunt, et summo etiam studio sacra procurarunt, rei que publicae causa labores et pericula subierunt, neque consilia et cogitationes a communi utilitate seiunxerunt. Quorum mores et instituta, in quibus sapientiae et virtutis lumen eluxit, gnaviter descripsit Caesar, et qui Caesarem haud dubie legit et secutus est, Strabo, accuratus sane Geographus, et rerum quoque civilium iudicio pollens. Ille rationem vitae, disciplinam et doctrinae capita tradit. Nam immortales esse animas, et homine mortuo, migrare ex hominis corpore in aliud corpus, affirmarunt. Res quoque arduas, et cognitione dignas pervestigarunt, non minus ex culti animo, quam ingenio sagaces. Tum diligenter coelum spectarunt, et ad divina reconditaque omnia perquirenda toto pectore incubuerunt, non deliciis effoeminati, nec prava institutione, aut turpi consuetudine et licentia corrupti, sed cupiditate honestae laudis incensi, et omni virtute ornati. *In primis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios, atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto.* Prudens

M m m m m

Prudens

dens Caesar de secta Pythagorae tacet, quia multum inter utrosque interest, vel eo argumento, quod Pythagoras statueret, animas hominum migrare in corpora pecudum, ex iisque ad homines remigrare: Contra quam Dryades putarunt, *ab aliis* (hominibus) *transire ad alios* (homines) quod non convenit cum placitis Pythagorae, ut qui existimaret, animam hominis in diversa animalia migrare, et multa variaque migratione confecta, tandem in hominis corpus reverti. *Ioannes Brantius in b. l. ex eo Petrus Lescaloperius, et Arnoldus Montanus.* Ex hac disciplina scripsit Diodorus Siculus, et *μετεμψύχωσιν* appellavit τὴν εἰς πᾶν ζῷον τῆς ψυχῆς μεταβολὴν, l. I. et ad Gallorum instituta accommodavit l. V. Sed in eo *παχυλῶς* locutus est, quod Pythagorae opinionem apud Gallos invaluisse memoravit. Ante Diodorum Herodotus eam de animarum μεταβολῇ sententiam verbo *εἰσδύεσθαι* indicavit, Valla per *immigrandi* verbum exposuit, Latine et significanter. *In lib. II. qui Euterpe inscribitur, c. 123.* Nihil addo de Porphyrio et Iamblichio philosophis, qui Pythagorae doctrinam praecclare cognitam habuerunt. Primus inter Latinos Valerius Maximus, de recepta in Galliam Pythagorae secta tradit, et *idem Braccatos sensisse* confirmat, *quod palliatus Pythagoras credidit, l. II. c. 6.* Nihil tale extat apud Caesarem, ut sui oblitus annotavit E. Pufendorfius: nihil eiusmodi legitur apud Melam, Claudii aequalem; nam de Strabonis silentio iam supra constat. Amplius, *braccatos*, dixit Valerius, quoniam Caesari in Gallia versatus, et gnarus locorum circumfususque scriptor, Druidas in finibus Carnutum, et hoc certe argumento procul Gallia Braccata confedisse, prodit. Posterior Caesarem Mela, sed Valerio antiquior, Comatae Galliae ascripsit. Carnutes autem longe distant a Gallia braccata, quippe quae est ipsa Narbonensis, ut e diverso Gallia Comata includit Celticam, et simul Carnutes, Celticae populos, et hodie ad quartam Celticae, quae commutato nomine Lugdunensis dicitur, partem relatos. Vbi filet more suo annotantium vulgus, neque errorem, siue mendum observat. Diodorum ergo, cui Gallia, et ritus Druidum minus explorati erant, quam testi oculato Caesari, secutus est Valerius, et hunc forsitan sententiae auctorem habuit Ammianus Marcellinus, qui Druidas ex auctoritate Pythagorae praecepisse, et de animarum immortalitate pronunciasse retulit, sed de Pythagorica animarum migratione nihil subiunxit, et caute adeo eam doctrinae partem, quam suam non fecerunt Druides, omisit, ut maxima alia sectae eius capita probarent. *Histor. l. XV. c. 9. Inter hos Druidae, inquit, ingenii celsiores (erectiores, acriores et sagaciores) ut auctoritas Pythagorae decrevit (constituit, et consensu suo approbavit) sodalicis astricti consortiis (arctissima vitae ritusque societate coniuncti, eiusque rei gratia abditii in lucis, et ab aliis hominibus remoti, ac lege quadam lata devincti, ut iure sodalicium, siue ut Iustini aetate locuti sunt, iure sodalicio uterentur) quaestionibus* occul-

occultarum rerum altarumque (abstrusarum et explicatu difficilium, atque a vulgi intelligentia sensuque disiunctarum, ut sunt divinae coelestesque omnes, difficultate impeditae, quas minus scite *altas*, et vulgo *sublimes*, vocant, nullo optimi et augusti aevi exemplo) *erecti sunt* (sua sponte inducti, atque exemplo et disciplina sacri ordinis, quem profitentur, excitati) *despectantes humana* (aspernantes, et pro nihilo ducentes conditionem vitae huius, et negotia hominum, praesertim ritus ignorantium, atque institutis et moribus sacri et sapientis collegii repugnantium) *pronunciarunt animas immortales*. Id est, palam dicunt, et pro certo affirmant, summaque animorum consensione tradunt constanter et docent, animas interitus expertes, mutare domicilium, non morte extingvi. *Pronunciare* ceteroquin est verbum praeconum, et iudicum, atque adeo fori proprium, sed ea notione hoc loco alienum. *Quantquam*, ut memoria tenet, Druides quoque vero iuris significatu *pronunciarunt*, et iudicum auctoritate functi, sententias civiles et capitales tulerunt. Id praeterquam aliunde constat, innuit etiam auctor Comediae, titulo *Querculi*, temporibus Theodosii, a Gallo quodam erudito, et Plauti amante, cuius nomen ignoratur, conscriptae, et a Rob. Stephano evulgatae, apud quem frequentia lego. *Ibi sententiae capitales de robore proferuntur*. Et quidem, *ibi*, inquit, id est, apud Druidas, et in collegio ac sodalitate Druidum, *sententiae capitales*, supplicium, aut exilium irrogantes, *de robore*, sub quercu, sive in luto consecrato, et quercubus confito, ubi sodalitia et conventus, ceremoniarum aequae ac deliberationum, iudiciorumque causa habuerunt, et nihil sine fronde roborum, ut Plinius loquitur, faciendum putarunt: *proferuntur*, forensi, ut dixi, usu, pronunciantur.

§. V. Redeo ad praecipuum doctrinae caput, quod cum ad animas hominum immortales pertinet, tum non magis Druidum ore traditum est, quam literarum monumentis consignatum, et a sene Samio inde ex ultima Italia, et speciatim ex ea Italiae parte, quae magna Graecia dicitur, in Galliam perlatum, constanterque servatum. Sunt tamen, qui putent, Druidas Pythagora antiquiores, inter quos est Stephanus Forcatulus, qui *plus mille annis philosophatos ante scribit, quam eruditio Pythagorae in Italia innotuisset: de Gallorum imperio et philos. l. I.* Quod ei pro summo in gentem Gallicam studio condonandum est, quamvis ceteroquin dignus sit, qui praeferatur *Io. Picardo*, cuius extat liber de *prisca Celtopaeia*, sive de *adminanda priscorum* (a quibus Francogalli differunt) *Gallorum doctrina*. At liber inutilis est, et nullo, si ingenue pronunciare velim, numero habendus. Restat Lucani, poetae historici, locus, prima specie obscurus, sed eius ratio facilis explicataque est, si cum Caesare conferatur. Is a bello, quod describit, Pharfalico se convertit ad Druidas, et apta, neque indecora digressionem utitur ad exponendos sapientissimorum sacerdotum ritus. De animarum immor-

talitate haud secus, ac de earum in corpora migratione tradit. De Pythagora eodem, quo Caesar, modo tacet, et a Valerio, cuius paulo ante memini, dissentit. Quum dicit *umbras*, intelligit animas, quae corporibus solutae, non regna inferorum petant, sed in alium, et a nostro diversum orbem delatae, atque in corpora aliorum hominum ingressae, degant ibi tanquam in nativis sedibus et vigeant, ac nulla interitus lege teneantur, eaque causa sit, cur nullo mortis metu a periculis deterreantur. Quod a Caesare sumptum, mox declarat, et verba in quibus moriendi fiducia ponitur, subiicit, quod *idem spiritus*, sive eadem anima, naturam suam retinens, et in alia atque alia corpora demigrans, regat artus, neque amittat vim, et moderandi munus, quippe quod nunquam agitatione et motu vacare possit; nec vero in nostro, sed in altero, et remoto orbe excitet vires suas, et vigorem corporibus, in quae transeat, impertiatur. Sed ubi quaerendus sit alius ille mundus, non convenit inter Lucani explanatores. Petrus de Ponte exponit de Antipodibus, vel insulis fortunatis; illos quoque designatos voluit *Omnibonus Leoniceus*, apud Ioannem Taberium commentar. h. l. Hunc secutus est Lescaloperius, sed orationis sensum obscuritate implicuit, omiſsa particula negante, qua repugnantes Valerii et Lucani sententias distingvere debuisset. Nam quae Druidum sententia erat, animae non commeabant ad inferos, quoniam *mors media*, quae hic traditur, eo spectabat, ut quasi via quaedam esset ad aevum sempiternum. Id circo dicitur *mors media* inter vitam hanc, et alteram, sive quod planius est, inter vitam praesentem, et futuram. Mela dixit, *vitam alteram ad manes*, ut indicaret, media morte, quemadmodum putabant Druides, perveniri ad vitam alteram, eamque sempiternam, quippe quam ille animarum in corpora transitus praecedat. V. Ioannes Sulpitius Verulanus in Pharsal. l. 458. Quod non assecuti sunt Farnabus, et Bersmannus, viri utique docti et diligentes. In Grotiano Lucani indice nihil explanationis causa additum est, et in notis hunc locum, explanatu dignum, auctor praermisit. Usus vocabuli et constructio cum gignendi casu elegans est, nec poetis tantum et orationi vincetae, sed etiam numeris solutae liberaeque convenit, et praeter ceteros a Mela, cuius auctoritas Lucano prodest, usurpatur.

§. VI. Ut vero sacrorum auctores, et ceremoniarum antistites fuere Druides, sic res omnes imperiumque suae gentis religione contineri existimarunt, nec minus in sacerdotiis, quam in reipublicae negotiis versati sunt, atque in dirimendis populi litibus, et administrandis patriae iudiciis, componendisque etiam bellis permagnam, et prope regiam auctoritatem habuerunt. Οὐ μόνον ἐν ταῖς εἰρηναῖς χρεῖαις, ἀλλὰ καὶ τῆς πολέμου τέττοις μάλα πεῖθονται, scilicet Galli, etiam studiis divisi, bellisque mutuis impliciti, ut multi tunc erant Galliae principatus, et exiguo terrarum spatio circumscripti, qui ob finium controversias, aliasque aemulationum causas, saepe armis se laceſſebant, apud quos

quos sententiae Druidum valebant, non secus, ac si regnum sub quercu exercerent, Gallosque populares hi soli maxime in officio continere possent, posthabitis sacerdotibus aliis, quorum magnus ceteroquin ibi numerus, a Druidum secta et sodalitate diversus fuit. Quod de industria monere placuit, cum ob recte intelligendum Diodori locum, *ἑ μόνον οἱ Φίλοι, ἀλλὰ καὶ οἱ πολεμιοί, bibl. l. V.* tum ob ineptam vulgi opinionem, quasi Gallia non alios, quam Druidum sacerdotes habuisset. Caesar quidem sermonem de his solis intulit, quod singulari prorsus & summo Druidum honori datum est; neque enim silentium pro inficiatione haberi debet, vel hoc certe indicio, quod sacerdotes feminas idem ille praetermisit, quas tamen in ordinem Druidum ascriptas esse, haud negaverit, quisquis rerum post Caesaris tempora gestarum reminisci velit et recordari. *V. Lampridius in Alexandro severo, cap. LX. Vopiscus in Aureliano c. XLIV. et in Numeriano cap. XV. et XVI.* Romanis invisum Druides viri pariter ac feminae memorantur, non ob religionem, neque ob perspectam naturae rationem, et scientiam rerum abditarum, neque ob divinandi studium, de quibus scribit Cicero *lib. I. de divin. et Iustinus l. XXIV. ex iisque repetit Otto Heurnius in barbar. philos. antiq. l. II. c. 33.* sed ob crudelitatem in sacrificiis usitatam, propterea quod humanis victimis litabant, cuius abolitae per Claudium feritatis vestigia nihilominus diu post eius tempora remanserunt; quo respexit Mela, Claudii aequalis, *l. III. c. 2.* Apertius docet Tranquillus, & dirae immanitatis religionem vocat, *in Claudio cap. XXV.* At propior Claudio Plinius, Tiberium perhibet, *sustulisse Druidas*, id est, immanissimum sacrificandi morem, Druidibus usitatum, abrogasse. *H. N. lib. XXX. cap. 1.* Diversa erat ratio aliorum rituum, crudelitatis expertium, quos non abrogavit Tiberius, neque abolevit Claudius; neuter enim lucum sodalitati consecratum excidit, neuter sodalitatem ipsam dissipavit, quod ex consequentium temporum eventis perspicere satis possum. Quare non est, cur subverear, Tranquillum repugnare Plinio, quando quidem Augustus nefando hoc litandi ritu tantum civibus interdixit, Tiberius quoque in urbe penitus abrogavit et sustulit, Claudius denique, etiam extra urbem, et in Gallia transalpina, speciatim Comata, eiusque parte Celtica, delevit funditus et abolevit, videlicet pro ea parte, qua cum summa immanitate, et odio humani generis coniunctus fuit. *V. Iustus Lipsius ad Tacit. Annal. XII. 42.* Nam quod alibi Tacitus de excisis Druidum lucis refert, ad Druidas Britanniae spectat, quos imperante Claudii successore, Domitio Nerone, Paulinus Svetonius afflixit, fortunisque evertit, nec consecratis eorum nemoribus & sylvis pepercit. Quoniam sacerdotes insulae, de qua loquitur, hostium loco habuit, eaque capta, quercus deiecit, & lucos ipsos extirpavit, quippe quos caesis hominum victimis fumeabant, contra sententiam Augustorum Principum, quorum edicta, priusquam *Mona* Britanniae insula ab illis subacta est, a transmarinis Druidibus negligebantur.

Non capio, quid velit *Levinus Torrentius*, quum ex hoc, quod attuli, testimonio, probare instituit, Druidas, post Claudium, in Gallia saltem permanisse. *In notis ad Tranq. c. XXV.* Mona enim extra Galliam sita & acquisita, hucusque non obediebat Romanorum legibus, et retinebat superiorem sacrificandi consuetudinem, quam Claudius in Gallia, Romanae ditionis provincia, antiquavit, cum Mona, nondum Romanis subiecta, pristino more suo impune uteretur. *Caesaris Mona*, ut supra dixi, non est huius loci. Perperam *Io. Saubertus Taciti*, quem nominare debuit, Monam putavit esse *Veetim* insulam, in libro de sacrificiis cap. XXI. Illud autem ultro concedam, Druidas, si maxime totus eorum coetus dissipatus fuisset, non tamen omnia eorum sacra deperuisse, neque sic recitam esse radicem, quin subinde ex ea furculi renascerentur. Vix tamen adduci possum, ut credam, instaurasse superiorem in sacrificando saevitiam, quam Romani humaniores, haud ferendam existimarunt, factoque Scto vetuerunt, *homines immolari.* *Plinius l. XXX. c. 1. fin.* Mirum adhuc videri potest, cur sua aetate scribat *Hieronymus*, se adolescentulum in Gallia vidisse *Scotos*, gentem *Britannicam*, *humanis vesci carnibus*, lib. II. c. 6. *adversus Iovinianum.* Id vero *Scoti Britannique* nullo Druidum exemplo fecerunt, et immanitatem quoque feritatis accessione cumularunt, propterea quod Druides caedebant pativos, ut immolarent, numinaque impia his talibus victimis placarent, non ut devorarent, naturaeque sensus repudiarent, quibus sufficiebat, mactare bello captos, ut sanguine hostium aras imbuerent, fibrasque ad vaticinandi superstitionem adhiberent. Hoc enim maxime cum disciplina sacerdotum Gallicorum congruebat, teste post *Caesarem Tacito*: *cruore captivo adolere aras, et hominum fibris consulere Deos, fas habebant.* Sermo illi est de *Britannis Monae incolis*, quorum Druides ad ista usque tempora immanem barbarumque sacrificandi morem servarunt. *Cicero* etiam de *Gallorum Druidibus loquens*, invehitur in barbaram immolandi consuetudinem, quippe quod *humanis hostiis Deorum aras, ac templa funestent, pro M. Fonteio.* Quem ritum Galli quoque in *Asiam profecti*, et ab *Europaeis* orti retinuerunt, atque usu probarunt, ut *fragmentum Sopatri Paphii*, ex comoedia, cui a *Galatis* titulum fecit reliquum, satis confirmat. *παρ οἷς (Γαλάταις) ἐβόησαν, ἥνικ' ἂν ἀποτέρημα ἦ ἐν τοῖς πολέμοις λάβωσι, θύειν τοῖς θεοῖς τὰς αἰχμαλώτους.* *Galatae* sunt iidem, qui *Gallograeci*, a *πῶς κατὰ τὴν κελτικὴν*, diversi. Horum superstitiones *Victor famosas*, *Solinus detestabiles* vocat, alter in *Claudio*, alter, *quantumvis de rei veritate dubitans*, *polybist. cap. XXI.* Sed causam non assequor, quamobrem ille *Plinii* compiler dubitaverit, cum omnes *Graeci Latini*que consentiant de *humanis victimis*, in *Gallia* immolatis. Tum vero *Caesar* & *Cicero*, alter in *Gallia*, alter cum *Gallis Romae*, versati, ritum hunc propius cognorunt, eumque literis mandarunt. Accedit *Taciti* hoc ipsum confirmantis auctoritas, maxime quod is in *Belgio* commoratus facile exploravit

ravit mores Druidum, qui in vicina Britanniae insula degebant, quorum superstitiones ea de causa *sarcas* nominat, nec magno temporis spatio disiectus ab eo Plinius, in eandem loquitur sententiam, et magnum huius testimonio affert pondus. Cum enim ad istas hominum victimas respiciens, de *sacri prodigiosi celebratione* tradit, mox, institutum persequens, subiungit: *Gallias utique possedit*, illa videlicet *s. p. celebratio*, sive ritus nefandi et detestabilis perfunctio. Amplius, ne sit dubitandi locus, addit temporis argumentum, quod multum apud omnes valet, nec obscure declarat, Tiberium Neronem in submovenda sacrificii crudelitate, nequicquam officio suo defuisse, et *externas*, ut Druidum erant, *ceremonias* compescuisse, earumque usu sacerdotes prohibuisse, quin et *mathematicos* (divinandi peritos, et vaticinandi studio deditos) Roma expulisse, neque commorandi in Vrbe spatium dedisse, nisi ab incepto, et superstiosa consuetudine desisterent, sacrificiique genus mutarent. *Tranq. in Tiberio cap. XXXVI.* Atqui haec mihi diu multumque cogitanti, facile tandem convenit cum explanatoribus, *Tiberium* Plinii pro Claudio habentibus, sic ut Plinius hunc tantum praenomine suo appellasse videatur. Quae conciliandi ratio momentum habet, si cum usu loquendi veterum congruit, et vel uno *Qvirium* exemplo confirmatur. Cum vero Svetonius Claudium quoque eo praenomine signaverit, et Plinius Claudio, qui barbarum immolandi morem in Gallia sustulit, propior fuerit, non difficile est colligere, Plinium eo, quem saepius dixi, loco designasse Claudium, quippe ab aetate Plinii minus remotum. Apparet id ex verbis paulo post subiectis, *ad nostram memoriam*, tanto quidem clarius, quanto est certius, Tiberium Neronem Romae Druidas compescuisse. Hoc libro quarto affirmavit Strabo, qui adhuc Tiberio imperante scripsit, et diu ante Claudium obiit, non obscurus, neque incertus testis, et cum Svetonio, ut planius intelligatur, coniungendus. *in Tiber. cap. XXXV.* Quos in vrbe refrenavit et coercuit Tiberius, (in provinciis tentavit magis, quam perfecit) eos Claudius universe ab immanitate continuit, et ab instituto ac more sacrificandi impio retraxit: *καὶ τῶν ἐπαυσαν αὐτῆς ῥωμαῖοι, καὶ τῶν κατὰ τὰς θυσιῶν, καὶ μαντείας ὑπενατίων τοῖς περὶ ἡμῖν νομίμοις.* Romanos dicit Strabo, magistratus auspicio et auctoritate Tiberii Neronis constitutos, ut ritus Druidum expurgarent, eoque modo sacerdotes ad humanitatem revocarent. Plus deinde praestitit *Claudius*, qui extirpata sacerdotum crudelitate, caput *Sciti* veteris, quod supra memini, implevit. Hunc Augustus, maior avunculus, seorsim, et omisso nomine, *Tiberium* vocavit, ut auctor est Svetonius in *fragmento*, quod ex epistolis Augusti protulit, et posteritati servavit. *in Claudio cap. IV. Nepoti*, inquit, *tuo Tiberio*, intelligens *TI. Claudium Drusum*. *Phil. Beroaldus ad hoc*, et *XXV. caput*, qui viam praecivit *Lescaloperio cap. XIX. Theol. vet. Gallor.* Exinde liquet, non destitui auctoritate Plinium, quem legisse familiares Augusti

epistolas, vix erit, qui dubitare aufit, maxime quod tunc integrae extarent, et a Svetonio etiam post tempora Plinii adhuc legerentur. Dissentit Bucherius, et allato Strabonis testimonio se tuetur, cuius summa in eo posita est, ut Tiberio sublatae huius superstitionis honor omnino tribuatur. Quae Strabonis verba recte capienda, et apte exponenda sunt, quoniam Tiberius Nero Gallos superiori modo sacrificare vetuit, sed ritum sacrificandi non prorsus extinxit, quoniam edicto eam in sententiam promulgato effecit, ut sacrificia & saevus ritus aliquandiu cessarent. Aperte enim scribit, τῶν ἑπαύσαν, Romani cessare Druidas, aut desistere fecerunt (sic loqui nunc mihi liceat) non ritus eorum funditus everterunt, nec universe sustulerunt. Conatus maior, quam effectus successusque Tiberiani edicti fuit, quod a consequenti probare possum, et imprimis auctore Svetonio confirmare. Nam penitus abolevit Claudius, et usquequaque sustulit istam religionem, sive superstitionem potius, quae ad saevum immolandi morem pertinebat. Taceo de idonea temporis ratione, quae non magis expedite et commode, quam cum hac Plinii explanatione conciliatur. Sed Io. Harduinus hic fileat, in vulgata haecenus et recepta interpretatione in-nixus.

§. VII. An et quando Druides in Germaniam venerint, non definiunt scriptores, nec aperte tradunt. Neque enim Galliae finibus se continuerunt, neque solum in Germaniam, sed etiam in finitima regna demigrarunt, maxime quum Franci in Gallia armis subacta, Christo nomen darent, admonitque a Pontificibus, barbaros impiosque ritus ex civitate Christiana, et regno suo exterminarent. Inde profecti, latibula superstitionis apud Mosellam, Rhenum atque Danubium quaerenda, et sub quernis frondibus instituenda, atque instauranda rati, novis ibi auspiciis et vaticinari, et philosophari, et sacris operari coeperunt. De Mosellae tractu antiqua inscriptio testatur.

SILVANO.

SACR.

ET. NYMPHIS. (a) LOCI.

ARETE. DRVIS.

ANTISTITA. (b)

SOMNO. MONITA. (c)

D.

Druid,

(a) Non emendate, NIMPDIS.

(b) Prorsus recte, etiam in oratione proorsa, speciatim Verrin. IV. auctoritate Gellii et Prisciani: tum in antiquis inscriptionibus aevi nondum inquinati, ad cuius laudem accedit haec in agro Mosellano inventa et animadversa.

(c) Monita; proprie in hoc argumento, de re per quietem divinis significata, somno

Druides, eaque sacerdos femina, five Druidas, ut Lampridius et Vopiscus mulierem huic superstitioni deditam nominant, fuit in Gallia Belgica, speciatim in Mediomatricorum agro, ubi repertum est monumentum, vrbe Metensi dignum, quod ex Boisardo protulit Gruterus. Hinc in regiones trans Rhenum fitas progressi, ad Boios, Hesses, Venedosque se contulerunt, servatoque religionis more, nemorum latebras, et lucorum recessus, ut fieri maxime potuit, quernae frondis, et visci causa delegerunt. Ab illo sacrae quercus cultu ortum est in Bajoaria nomen *Alraichii* superioris et inferioris, apud Io. Aventinum *annal. Boi. lib. III.* In Hestia apud Geismariam quercus hoc ritu consecrata stetit, postea iussu Bonifacii excisa, *Guil. Dilichius in Chron. Hess. p. 174.* Arborem vocat, non pro Iove cultam, ut putat, sed Iovi dedicatam, vero et proprio nomine quercum, *isegn. Synod. deua, in vet. epigrammate*, quod ostendit Plinius *lib. XVI. c. 44.* Neque omisit Maro, *Georg. III. 332. Aen. III. 681.* Eodem refero, quod consignavit Helmoldus. *Illic inter vetustissimas arbores, vidimus sacras quercus, quae dicatae fuerant Deo terrae illius Proven. Chron. Slavor. l. I. c. 83.* Longius processit haec supersticio, et ab ulteriori Slavia se commovit, atque in septentrionem pervasit, Sveonumque animos infecit. *Adamus Bremensis de situ regnor. Septentr. cap. 234.* Nec modo eam non repressit mare, sed ne Alpium quidem iuga, quin Italiam corripere, impedire potuerunt. Qua in re non coniectura nitor, sed auctoritate legis Langobardorum, *lib. II. t. 38. a principio.* Huiusmodi arbores dicebantur *sacris* (illiteratis ea tempestate hominibus, *sacri*) Quae arbores Diis, aut daemionibus consecratae passim in conciliis Galliae provincialibus Antissiodorensi, Nannetensi, Arelateni, Turonensi, et sanctionibus ecclesiasticis, speciatim *Capitularibus* Caroli M. improbantur, promulgatis in hanc sententiam mandatis, ut haec et tales arbores aut *indicitus* excendantur, aut *pestimus earum usus, et Deo execrabilis, impiaque voti exolvendi supersticio, penitus tollantur*, quemadmodum id constitutum est in *Conc. apud Nannetes habito, c. XX. et in Capitular. Aquisgran. cap. LXIII. de auguriis, vel aliis maleficiis.* Non quidem tunc immolare in Gallia homines licebat, neque ea de causa impius grex conveniebat, sed ut supplicaret ad arbores, vota que ibi nuncuparet ac solveret, et ramos adeo frondesque divinandis et precandis causa veneraretur. Hinc explanationis causa inferui vocabula, quae summam rei, pessimaeque consuetudinis statim ante oculos ponunt. Nec tamen

somnio ab Iove misso, quemadmodum hoc loco Druidae voti religione se alligavit, et promissi fidem liberans, solvit. Vid. Homerus Iliad. l. 63. eumque secutus Cicero, aut certe Balbus apud Ciceronem de Nat. Deor. l. III. sub finem. Vbi docet, somnia ad nos mitti ab Iove, vulgo immitti dicunt. Sicut vero sacerdos haec monita traditur, sic alibi nomine monitus oraculum in somnis editum denotatur. de divinat. l. II.

tamen ignoro, alibi in Germania saevum litandi morem adhuc tenuisse, eiusque rei causa non Christianos homines (paganos) a Christianis mancipia, emere solitos, ut horum cruore Numina placarent, foedoque ritu sacrificarent. *Vid. epistola Gregorii II. Pont. Rom. ad Bonifacium, in volumen, quo sancti Anstulicis epistolae continentur, relata, eaque CXXII. et Vita S. Wulfstomii; utraque digna lectu, et immanis barbaraeque impietatis nondum illo, quod miror, tempore extirpatae documentum, fide publica, quam nemo infirmare auit, corroboratum.* De Prussis et Sarmatis nulla mirandi causa superest, quippe qui arbores et quercus palam venerati sunt, nec eodem, quo Germani, seculo, hanc superstitionem deseruerunt. Cuius rei fama ad vicinos pervenit, et magno consensu ab utriusque gentis scriptoribus est confirmata. Ex usu fuerit, evolvere *Petrum Dusburgium in Chron. Prussiae, part. III. Erasmus Stellan, et Simonem Grunovium, quos sequuntur Casp. Schuzius, et Casp. Hennebergerus.* Assentiuntur Poloni, *Io. Dlugossius l. VI, annal. Polon. ac Matthias Michovius l. IV, Chron. Pol.* De Lithuanis idem hoc tradit *Mart. Cromerus l. XV, ex eo Salomon Neugbauer, et Elias Schedius de Dis Germanis syngram. II. c. 24.* Sed in hoc quaedam minus accurate, quaedam minus emendate posita animadverti: nihilo relictius est, quod auctoritatem Caesaris oppugnavit, negantis sub illud tempus, quo de Gallis scripsit, in Germania extitisse Druidas, quem cum Tacito imprudenter committit, et Germanorum sacerdotes, ex eorum numero fuisse, putat, qui Druides nominantur. *Syng. cit. l. cap. 1.* De veteri Hungaria legi par est *decreta Ladislai, in quorum libro I. c. 22.* observare licet, non defuisse quondam inter Hungaros, qui ad arbores offerrent (sacrificarent). Ne longius abeam, unum illud de Saxonibus antiquis, et adhuc barbaris, quod prope mihi exciderat, saltem in extremo huius disputationis indicandum est, eos cum simulacra, tum arbores divino honore profecutos, fortitudine magis et belli, quam verae pietatis laude floruisse, eaque ratione Carolum Magnum, ut superstitione cultus arborum maioribus nostris interdiceret, adductum, ne quid deinceps Dei honore indignum fieret, sanxisse, in *Capitul. de partibus Saxoniae cap. XX.*

LVII. DE NOBILIUM INSIGNIBUS.

Noti sunt magnorum fluminum cursus; scaturigines vero obscurae, fontesque unde derivantur. Constat insignia dari, eorumque hodie usus invaluit longe amplissimus. Primordia ut alibi, ita hic, si res a sua repetenda origine est, maxime latent. Nam quod